

ut peccato hominis remedium præberet. Sed peccatum Angeli est irremediabile, ut supra (Lib. II. dist. VII. quæst. I. art. 2.) dictum est. Ergo angelica natura non est assumptibilis.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod totum universum sit magis assumptibile quam humana natura. Effectus enim universalis maxime causæ universali assimilatur. Sed universum est effectus universalis Dei, qui universalis causa est. Ergo universum Deo magis assimilatur, quam humana natura, quæ est quidam particularis effectus; & ita est magis assumptibile.

2. Præterea. Per assumptionem consummatio totius universi est perfecta. Sed magis esset universum perfectum, si omnes partes ejus essent assumptæ. Ergo universum est magis assumptibile.

Sed contra. Ex hoc est aliquid assumptibile Deo quod ad imaginem Dei est. Sed non potest dici, quod totum universum sit ad imaginem, nisi forte poneretur universum animatum anima rationali, sicut Platonici posuerunt; quod à fide alienum est. Ergo universum non est assumptibile.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod assumptibile dicitur quod potest assumi. Cum autem dicitur, creatura potest assumi, non signatur aliqua potentia activa creaturæ: quia sola potentia infinita hoc facere potuit, ut in infinitum distantia conjungerentur in unitatem personæ. Similiter non signatur etiam potentia passiva naturalis creaturæ: quia nulla potentia passiva naturalis est in natura cui non respondeat potentia activa alicujus naturalis agentis. Unde relinquatur quod dicitur in creatura solam potentiam obedientiæ, secundum quam de creatura potest fieri quicquid Deus vult, sicut de ligno potest fieri vitulus, Deo operante. Hæc autem potentia obedientiæ correspondet divinæ potentiæ, secundum quod dicitur, quod ex creatura potest fieri quod ex ea Deus facere potest. Sed potentia Dei dupliciter consideratur: vel ut absoluta, vel ut ordinata. Quod qualiter intelligendum sit, ex dictis I. distinct. (quæst. II. art. 3.) patet. Loquendo autem de potentia Dei absoluta, Deus potest assumere quamcumque creaturam vult. Unde secundum hoc non est una creatura magis assumptibilis quam altera. Loquendo autem de potentia ordinata, illam creaturam assumere potest, quam congruit eam assumere ex ordine suæ sapientiæ. Unde illa creatura dicitur assumptibilis in qua hujusmodi congruitas invenitur. Invenitur autem in humana natura congruitas præ alijs quantum ad tria, quæ in assumptione requiruntur. Primo quantum ad similitudinem unibilium: in humana enim natura invenitur expressior similitudo divina quam in aliqua creatura irrationali: quia homo secundum quod habet mentem, ad imaginem Dei factus dicitur; cum in creaturis irrationalibus non nisi similitudo vestigijs invenitur: & etiam quantum ad quædam in ea est divina similitudo magis quam in angelica natura, ut post dicitur. Secundo quantum ad terminum assumptionis: terminatur enim assumptio ad unitatem personæ; personalitas autem non invenitur in irrationalibus naturis, cum persona sit rationalis naturæ individua substantia ut Boetius dicit (in Lib. de duabus nat.) In Angelis

(1) Al. & Deo.

vero est quidem persona, sed non secundum originem distincta; cum unus Angelus ab alio non trahat originem. In humana vero natura est persona distincta etiam secundum originem: (1) & ideo convenientissime humana natura in unitatem divinæ personæ assumitur; quæ distinguuntur secundum relationem originis. Tertio quantum ad finem assumptionis. Si enim perfectio universi dicatur assumptionis finis præcipuus, ut quidam dicunt, nulla natura particularis assumi potuisset, per quam ita universum perfici posset, sicut per assumptionem humanæ naturæ: quia quia homo est ultima creaturatum, quasi ultimo creatus, cujus natura assumpta, ultimum est conjunctum primo principio, per modum circuli, quæ est figura perfecta ex eo quod additamentum non recipit: tum etiam quia in homine quodammodo omnes naturæ conflunt, quia cum omnibus creaturis aliquid commune habet, ut dicit Gregorius (in homil. Evang. ascen. sen. XXXIX. in Evang.) unde homine unito, quodammodo omnis creatura unita est. Si vero finis assumptionis ponatur liberatio à peccato, sic etiam sola humana natura congrue assumi potuit: quia in irrationali creatura peccatum non erat; in angelica vero erat quidem peccatum, sed irremediabile, ut patet ex dictis in I. distinct. (quæst. I. art. 2.) in homine vero erat remediabile: & ideo solam humanam naturam congruum fuit assumere; & sic ea reparata, creatura irrationalis, quæ propter ipsius peccatum quodammodo deteriorata dicitur, secundum quod in usum hominis cedit, restaurata est.

Ad primam ergo quæstionem dicendum, quod Deus de potentia absoluta creaturam irrationalem assumere potuit. Nec impedit quod creatura irrationalis personalitatem non habet: quia personalitas non debetur etiam humanæ naturæ assumptæ ratione sui, ut infra patebit (dist. VI. quæst. I. art. 1. & 2.) sed ratione assumptis; unde non est ibi nisi personalitas increata. Et præterea quamvis in natura irrationali non invenitur persona, invenitur tamen in ea hypostasis, & suppositum. Unio autem non tantum facta est in persona, sed etiam in hypostasi, & supposito. Sed congruum non erat ut assumeretur, & præcipue quia natura assumpta maxime beatificatur, ut in Psalm. LXXV. 5. dicitur: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*: beatitudinis vero, quæ in actu mentis consistit, creatura irrationalis particeps esse non potest.

Unde patet responsio ad primam objectionem, quæ procedit de potentia absoluta, & non de potentia ordinata.

Ad secundum dicendum, quod ad congruitatem assumptibilitatis requiritur similitudo imaginis: quia per hanc creatura rationalis particeps est divinæ beatitudinis. Unde ad hanc congruitatem non sufficit similitudo vestigijs, qualis in creaturis irrationalibus invenitur.

Ad tertium dicendum, quod duplex est similitudo creaturæ ad Deum. Una secundum participationem alicujus divinæ bonitatis, sicut ab eo vivente omnia vitam participant; & sic creatura rationalis, in qua invenitur esse, vivere, & intelligere, maxime Deo assimilatur; & hæc similitudo requiritur ad assumptibilitatem. Alia similitudo est secundum proportionem, ut si dicatur similitudo inter Deum & ignem, quia sicut ignis consumit corpus, ita Deus consumit nequitiam; & hæc similitudo requiritur in fi-

ARTICULUS II.

Utrum filius Dei humanam naturam assumere debuit. (1)

III. P. quæst. IV. art. 5. & 6.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei humanam naturam assumere debuit in omnibus suppositis humanæ naturæ, quia, ut Damascenus dicit (de Fide orth. Lib. III. cap. VI.) quod est inassumptibile, est incurabile. Sed humana natura curabilis est in omnibus suis suppositis. Ergo in omnibus assumi debuit.

2. Præterea. Bonum est diffusivum, & communicativum sui, ut ex Dionysio patet IV. capit. de Divin. Nom. Cum ergo Deus sit summe bonus, & maxime in incarnatione suam bonitatem ostenderit, videtur quod naturam quæ assumptibilis erat, communiter in omnibus suis suppositis assumere debuerit.

5. Præterea. Christus venit ad satisfaciendum præcipue pro peccato naturæ, quod per unum hominem in mundum intravit. Sed id quod naturæ secundum se debetur, debetur communiter, & æqualiter in omnibus suis suppositis. Ergo Filius Dei naturam humanam, in omnibus suis suppositis, assumere debuit.

Sed contra. Filius Dei ad hoc carnem assumpsit, ut pro nobis satisfaciendo principium humanæ salutis esset. Cum ergo principium in quolibet genere unum inveniamur, videtur quod in uno tantum supposito humanam naturam assumere debuit.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non debuerit assumere naturam humanam in aliquo ex stirpe Adæ generato. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebr. VII. talis decebat ut nobis esset Pontifex qui esset segregatus à peccatoribus. Sed magis esset segregatus à peccatoribus, si de stirpe peccatorum carnem non assumpsisset. Ergo non debuit carnem assumere de stirpe Adæ.

2. Præterea. Peccatum originale est peccatum naturæ, & non personæ, nisi per accidens. Non ergo requiritur ad satisfactionem, nisi quod aliquis sit de humana natura. Sed si aliquis homo fieret non de stirpe Adæ, constat quod ad humanam naturam pertineret. Ergo congrue pro natura humana satisfacere posset.

Sed contra. Medicina in loco vulneris debet apponi. Sed humana natura est vitata tantum in his qui ex genere Adæ descendunt, in quo omnes moriuntur, I. Corinth. XV. Ergo in aliquo ad ejus stirpem pertinente, natura humana assumi debuit.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod naturam humanam assumere debuit in ipso Adam. Assumptio enim carnis ad satisfactionem ordinatur. Sed decet ut idem qui peccavit, satisfaciatur. Ergo naturam humanam in ipso Adam assumere debuit.

2. Præterea. Talis debuit esse humanæ naturæ reparatio, ut nihil homini de sua dignitate periret. Sed Adam in primo statu hoc habuit ut nullius hominis

figurativis locutionibus, & appropriationibus, quam Dionysius in secundo cap. ccel. Hierar. vocat dissimilem similitudinem: & de hac similitudine procedit objectio.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum est, quod de absoluta potentia loquendo, Deus potuit angelicam naturam assumere; sed natura angelica non habebat aliquam congruentiam ut assumeretur, præcipue propter duo. Primo quia ejus peccatum non erat remediabile. Secundo quia non decet ut aliquam perfectionem creaturæ Deus assumendo auferat. Personalitas autem quædam perfectio creaturæ est. Sed si natura assumpta personalitatem propriam haberet post assumptionem, non posset esse unio in persona, quia essent duæ personæ: unde oportet quod id quod assumptum est, personalitatem non habeat, naturam tamen habere. In angelica autem natura non invenitur potentia ad personalitatem sine actu, cum non per generationem procedat in esse: & ideo non fuit congruum ut Angelica natura assumeretur.

Ad primum ergo, cum opponitur quod angelica natura est Deo similior quam humana, dicendum, quod verum est, si natura divina in se absolute consideretur; si autem consideretur secundum quod est in personis, per relationes originis distinctis, sic magis convenit cum homine, ut dictum est. Similiter etiam si consideretur secundum quod est exemplar totius creaturæ: in homine enim invenitur similitudo cum qualibet creatura, ut dictum est, non autem in Angelo. Similiter etiam si consideretur in quantum gubernat universum: sicut enim Deus totus est in qualibet parte universi per essentiam, præsentiam, & potentiam; sic & anima in qualibet parte corporis.

Ad secundum dicendum, quod causa miseriæ angelorum, id est peccatum, remedium non habet; & ideo nec eorum miseriæ congrue subveniri potest.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod alicui toti potest convenire aliquid dupliciter: vel ratione partis, sicut homo dicitur canis propter capillos; vel ratione sui quod scilicet ipsi toti primo convenit; & hoc est ut in VI. Physic. (text. com. II. & inf.) probatur, quod convenit toti, & omnibus ejus partibus. Universum ergo potest assumi dupliciter: vel ratione partis; & sic assumptibile fuit, & assumptum est, humana natura assumpta: vel ratione sui; & sic assumi non potuit, quia non omnes partes ejus assumptibiles erant, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo circa hoc objectum dicendum, quod quamvis Deus sit causa universalis, est tamen maxime simplex: & ideo cum eo magis convenit universalis effectus unitus, scilicet humana natura, in qua omnes naturæ congregantur quodammodo, quam effectus universalis non simpliciter unitus, sicut est universum, ex cujus partibus non efficitur unum simpliciter, cum remaneant distinctæ in actu.

Ad secundum dicendum, quod non decet in omnibus partibus universi eandem perfectionem esse: & ideo magis congruum fuit ut una parte universi, assumpta in totum universum perfectio redundaret.

(1) Addit Nicolai: & in quibus individuis, vel suppositis.

nis auxilio ad quam salutem indigeret. Hoc autem non sibi restituitur, in alio homine humana natura assumpta: quia beneficio illius hominis indiget ad suam salutem. Ergo non decuit humanam naturam in alio quam in ipso Adam assumi.

Sed contra. Contrariorum non est eadem causa. Sed Adam causa fuit perditionis humanæ naturæ. Ergo non decuit ut ipse esset causa salutis humanæ naturæ. Hoc autem contingeret, si humana natura in ipso Adam assumpta esset. Ergo hoc decens non fuit.

SOLUTIO I.

Respondeo. Ad primam questionem dicendum, quod non fuit decens quod humanam naturam in omnibus suis suppositis assumeret; & hoc propter quatuor rationes. Primo quia omnia supposita humanæ naturæ non reducerentur ad plus quam ad tria supposita. Cum enim assumens, & assumptum uniantur in eodem supposito, non possent esse plura supposita naturæ assumptæ quam naturæ assumptis. Secundo propter finem assumptionis: est enim ad reparacionem humani generis ordinata per modum curiosam mediationis inter Deum & hominem. Mediator autem qui unitatem pacis facere intendit, unus congrue debet esse. Tertio propter unitatem ipsius assumptis: sicut enim decuit ut divina natura tantum in uno supposito incarnaretur, ita decuit ut una natura individua assumeretur: sic enim unius ad unum decenter facta est conjunctio. Quarto propter dignitatem ipsius Filii incarnati, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom. VIII. 29.) in spiritali generatione, sicut etiam est primogenitus creatura in rerum emanatione ab uno principio. Hæc autem primogenitura sibi non competeret, si plures numero humanæ naturæ assumptæ essent.

Ad primum ergo dicendum, quod per incarnationem proprie assumitur natura, ut infra patebit (dist. v. in text. & quest. 1. art. 2.) proprie etiam, & primo curatur peccatum naturæ. Unde si aliqua natura assumptibilis non est, curabilis non est. Non tamen oportet ut si hæc natura individua non assumitur, quod suppositum huius naturæ non curetur: quia per hoc quod natura in aliquo individuo assumpta est, preparatur curatio omnibus qui similem naturam habent; sicut est contra per hoc quod una persona infecit naturam humanam quæ in ipso erat; in omnes homines peccatum transmisit.

Ad secundum dicendum, quod sicut bonitas divina, quæ in creatione rerum se manifestat, omnibus se communicat, non tamen æqualiter; ita etiam prout se in incarnatione manifestat, præcipue quantum ad dilectionem humani generis, omnibus se communicat, non tamen eodem modo, & æqualiter; sed uni per gratiam unionis, aliis per gratiam adoptionis, qui gratiæ non repugnant.

Ad tertium dicendum, quod aliquid debetur humanæ naturæ dupliciter: vel ut sibi essentielle; & hoc invenitur communiter in omnibus hominibus naturam habentibus humanam: vel ut superadditum essentialibus principiis, sive sit per gratiam acceptum, sive operibus acquisitum; & hoc non invenitur communiter in omnibus naturam habentibus: unde ratio non procedit.

Quartum concedimus.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod non

fuit decens ut aliunde quam de stirpe Adæ, Filius Dei humanam naturam assumeret, præcipue propter tria. Primo ad servandum justitiam satisfactionis. Si enim de genere Adæ non fuisset, ad eum non pertineret pro peccato Adæ satisfacere. Secundo ad perfectam reintegrationem dignitatis Adæ, qui hoc habuit ut ipse, & suum genus nulla alia creatura indigeret, quasi sustentante, & salvante: & hoc generi ejus redditum non fuisset, si redemptus fuisset per aliquem qui ad genus ejus non pertineret. Tertio ad servandum dignitatem specialiter ipsius Adæ, qui in hoc quodam modo imaginem Dei singulariter habuit, ut sicut Deus, cum sit ens primum, omnium entium principium est per creationem; ita etiam Adam, cum sit primus homo, est principium omnium hominum per generationem; quod sibi deperiret, si Christus non de ejus genere homo fieret.

Ad primum ergo quod objicitur, quod debet esse segregatus a peccatoribus, dicendum, quod verum est, in quantum peccatores sunt, non in quantum homines sunt: venit enim peccatum destruere, & naturam salvare: unde convenientiam habuit in his quæ ad naturam pertinent, sed contrarietatem in his quæ ad peccatum spectant: quia neque contraxit, neque commisit peccatum.

Ad secundum dicendum quod natura humana non fuit infecta originali peccato, nisi secundum quod ab Adam trahitur: unde si Deus unum hominem de limo terræ formaret, peccatum originale in eo non esset: & ideo satisfactio de originali non pertinebat indifferenter ad quemlibet hominem, sed ad quemlibet de genere Adæ.

Tertium concedimus.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod nullo modo fuit decens ut Filius Dei in ipso Adam humanam naturam assumeret propter duo. Primo quia Adam propria personalitate perfectus fuit: unde in unitatem personæ assumi non posset, nisi illa personalitas destrueretur, quod non decebat, ut supra (art. 1. questiuic. 2.) de Angelis dictum est. Secundo quia cum per assumptionem fiat communicatio proprietatum, ut quidquid de homine dicitur, de Deo dicatur, sequeretur ut diceretur, quod Deus peccasset, quia Adam peccavit: quod est absurdum.

Ad primum ergo dicendum, quod per peccatum Adæ fuit infectio personalis in ipso, & infectio naturæ creatæ in ipso, & propagandæ ab ipso: & pro infectioe personali ipse gratia adjutus satisfacere potuit secundum quosdam; sed requirebarur aliquis qui pro peccato naturæ satisfaceret: & ideo non oportuit quod esset idem in persona cum Adam, sed idem in natura.

Ad secundum dicendum, quod non est inconveniens quod de dignitate illius personæ aliquid pereat ex culpa sua; sed inconveniens est ut aliquid naturæ deperiret, quæ cum bona esset, homo male urendo ipsam corrumpit.

Tertium concedimus.

ARTICULUS III.

Utrum Filius Dei carnem humanam assumpsit.

III. P. quest. v. art. 2. 3. 4. & quest. vi. art. 5. & IV. cont. Gent. cap. XLIV. & XLV. & opusci.

I. cap. xx. & XXI.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Filius Dei carnem non assumpsit. Galat. v. 17. Caro concupiscit adversus spiritum. Sed in Christo talis pugna non fuit. Ergo ipse veram carnem non habuit.

2. Præterea. In carne tantum est similitudo vestigii. Sed similitudo vestigii tantum non sufficit ad assumptibilitatem, ut supra (art. 1. in corp.) dictum est. Ergo caro assumptibilis non fuit.

3. Præterea. Major est gratia unionis quam gratia fruitionis. Sed caro nullo modo potest conjungi Deo per fruitionem. Ergo non potest conjungi per unionem.

Sed contra. Ad Hebr. 11. 16. Semen Abrahæ apprehendit: & Rom. 1. 3. Factus est ei ex semine David secundum carnem. Sed semen non pertinet ad animam, sed ad carnem. Ergo Filius Dei in humana natura non solum animam, sed etiam carnem assumpsit.

Præterea. Homo non nascitur ex homine, nisi per translationem carnis. Sed Christus non solum dicitur homo, immo etiam filius hominis, non nisi quia de virgine natus est. Ergo assumpsit carnem in humana natura.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod carnem assumpsit, & non animam. Joan. 1. 14. Verbum caro factum est. Non autem per conversionem in carnem, sed per assumptionem carnis. Ergo solum carnem assumpsisse videtur.

2. Præterea. Corpus non indiget ut uniatu sibi anima, nisi ad hoc ut per ipsam vivificetur. Sed ad hoc quod corpus vivificetur, sufficit quod corpori vivificabili principium vitæ uniatu. Cum ergo Deus, qui est principium vitæ, corpus sibi univert, videtur quod unio corporis ad animam superflua fuisset.

3. Præterea. Habito aliquo quod est sufficiens operationis principium, non requiritur ad eandem operationem aliud principium; sicut ad illuminationem aeris, qui illuminatur lumine solis, non requiritur lumen candelæ. Sed Christus per intellectum divinum sibi univert sufficienter omnia cognoscere poterat. Ergo non requirebatur anima cognoscitiva, & intellectiva ad unionem illam.

Sed contra. Christus curavit naturam, nostram per hoc quod eam assumpsit. Sed principaliter venit ad curandum animas. Ergo animam assumpsit.

Præterea. Mors corporalis non est nisi per separationem corporis a principio vitæ. Si ergo in Christo non fuisset aliud principium vitæ quam ipsa Deitas, cum caro à Divinitate nunquam fuerit separata, nunquam Christus fuisset mortuus: quod expresse contradicit Scripturæ.

Præterea. Sequeretur quod Deus esset immediarius motor corporis Christi, si anima caruisset; & sic nunquam Christus fuisset fatigatus ex itinere, ut dicitur Joan. 1v. cum fatigatio non accidat nisi ex debilitate virtutis moventis.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non assumpsit formam totius ex compositione partium resultantem. Forma enim totius est illa in qua sicut in natura communi particularia conveniunt. Sed Damascenus dicit (Lib. III. de Fide orth. cap. vi.) & habetur in littera, quod in Domino nostro Jesu Christo non est communem speciem accipere. Ergo in eo forma totius non fuit.

2. Præterea. Ut dicit Boetius (Lib. III. in Porphy. cap. de specie) species est totum esse individuorum. Sed nihil in Christo fuit ex parte carnis, & animæ quod totum esse ipsius Christi concluderet: quia habuit esse divinum non per animam, neque per corpus. Ergo cum forma totius sit species in potentia, videtur quod in Christo forma totius non fuerit.

3. Præterea. In littera dicitur, quod nomine humanæ naturæ corpus, & anima intelligitur, cum dicitur, Christum humanam naturam assumpsisse. Sed constat quod neque corpus, neque anima est forma totius, ad minus secundum opinionem communiorum. Ergo in Christo forma totius non fuit.

Sed contra. Forma totius in rebus animatis resultat ex unione, vel conjunctione animæ ad corpus. Sed in Christo anima fuit conjuncta corpori; alias corpus illud vivum non fuisset. Ergo in Christo fuit forma totius.

Præterea. Homines conveniunt specie ad invicem secundum convenientiam in forma totius. Sed Christus fuit ejusdem speciei cum aliis hominibus, alias pro hominibus non satisfecisset. Ergo in Christo fuit forma totius.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod, secundum Philosophum VIII. Methap. (text. x.) diffinitio in hoc convenit cum numero, quod sicut in numeris contingit quod semper subtracta, vel addita unitate, fit alius numerus; ita etiam in diffinitionibus, si addatur, vel subtrahatur aliqua differentia, semper fit alia species. Cum ergo omnes differentie sumantur ex essentialibus principiis, oportet quod si homini subtrahatur aliquid de essentialibus ejus, non remaneat eadem species. Cum ergo Christus fuerit ejusdem speciei cum aliis hominibus (alias enim verus homo non fuisset, sed æquivoce homo diceretur; nec pro hominibus satisfaceret congruenter) oportet quod omnia essentialia homini in Christo fuerint, & corpus, & anima vegetabilis, sensibilis, & rationalis, & ulterius forma totius resultans ex conjunctione corporis, & animæ, quæ humanitas dicitur: & quia proprietates naturales ex principiis essentialibus causantur, oportet quod in ipso fuerint omnes naturales proprietates speciem humanam consequentes. De aliis autem quæ per accidens speciem humanam consequuntur, sive sint defectus, sive perfectiones, infra suo loco dicitur.

Ad primam ergo questionem sciendum, quod circa hoc fuerunt duo errores.

Unus fuit Manichæorum, qui dicebant, quod Christus verum corpus non habuit, sed tantum phantasticum. Et ratio hujus positionis videtur fuisse, quia omnium visibilium auctorem possuerunt diabolum: & ideo nihil hujus secundum veritatem in Christo fuit, in quo princeps mundi hujus nihil habuit, Joan. xv. Patet autem quod positio ista est fal-